

Kreis  
Paderborn

S. 151

1197 Januar.

[31

Bischof Bernhard v. P. überträgt dem Kloster Hardehausen 7 Mansen und Zehnten.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Amen. Ego Bernhardus secundus Dei gratia Patherbrunnensis omnibus Christi fidelibus in perpetuum, Amen. Etsi profectibus ecclesiarum omnium et monasteriorum nostrae diocesis tam pietatis affectu quam iniuncta nobis praelationis officio debeamus intendere, ferventiore tamen studio necessitatibus illorum subvenire tenemur, qui fame et siti tabescere malunt, quam superstitiosis mundi huius saginari deliciis, quatinus ex arido paupertatis ramo facilius ad montem se valeant sublevare virtutum. Inde est, quod venerabili fratri nostro domino Nicolao abbati in coenobio in Hersvithehusen feodo Gerhardi de Willenhusen, quae de nobis ibidem tenuit, septem videlicet mansus et decimam totius villae tribus mansis exceptis omni iure, quo ipsa possederat, assensu cleri, fidelium et ministerialium nostrorum contulimus iure perpetuo hac tamen conventionem praemissa, quod iam dictus abbas nomine monasterii sui praefato Gerharo LX marcas dedit et ipse et mater nomine Bertheidis et soror nomine Beatrix cum caeteris haeredibus eadem feoda ante donationem voluntarie sub praesentia multorum in manu nostra resignaverunt. Tres autem mansus ideo excipimus, quia praefatus Gerhardus eos ab ecclesia Gerdensi in feodo tenuit; sed toto tempore vitae eiusdem Gerhardi et legitimorum haeredum suorum eorundem trium mansorum decimas monasterium Hervitthehusen ex pacto emptionis et venditionis possidebit. Post mortem autem ipsius, si nullos legitimis haeredes habuerit, decima ad dominum feodi redibit. Ne igitur facti huius memoriam nubes oblivionis involvat, notitia futurorum sub sigillo nostro in pagina praesenti transmittimus, et sub anathematis vinculo per futura saecula praecipimus inviolabiliter observari. Testes huius rei sunt Godescalcus maior prepositus, Volberth decanus, Theodericus custos, Heinricus scholasticus, Lambertus cellerarius, Bernhardus prepositus et reliquis conventus sancti Liborii in Patherbrunnen; nobiles Widekindus de Osede, Bertoldus, Thietmarus de Buren, Amelungus comes; ministeriales Wernherus de Brakele, Hermannus de Osdagessen et filius eius Hermannus. Conradus camerarius, Heinricus dapifer, Hermannus pincerna, Ludolfus marscalcus, Bernhardus de Norden et multi plures. Acta sunt haec anno dominicae incarnationis M<sup>C</sup>XCVII<sup>o</sup>, indictione XV, sedente domino Celestino, imperante domino Heinrico, sub domino Conrado Moguntinae sedis archiepiscopo episcopatus nostri IX, mense Januario in domo nostra episcopali in Patherbrunnen.

VII, 49<sup>v</sup> und 51 (nach Orig. mit unversehrtem Siegel. Zum Teil gedr. bei Schafers ad ann. Vergl. Schöne S. 98.